



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Caput VI. Finitâ actione quid facere nos oporteat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

Attentio ista non tam in eo consistit, quod re ipsa de Deo cogitemus, quam quod nos in certa quadam pace atque interiori contineamus tranquillitate, ut ea ratione animus ad considerandas ac dijudicandas omnes suas cogitationes & cordis commotiones sit semper comparatus. Extra omne quidem dubium est, insignem fore præsumptionem, si quis futurum putaret, ut ea in re errori aut peccato obnoxius nulli foret: at verò ubi culpas admissas, quas advertimus, sarcimus, atque aliqua ubi oblivio obrepserit, ad priorem attentionem nosmet suavi quadam ad Deum elevatione revocamus, sensim eò devenimus, ut absque ullo pene labore ac difficultate animum in ipsius præsentia fixum ac firmum, atque ad nosmet contineamus attentum.

## CAPUT VI.

*Finita actione quid facere nos oporteat.*

Utilissimum penitus est, ut simplici quodam illam contuitu perlustremus, ut si quos in illa admiserimus defectus, illos agnoscamus, aut ubi nullos animadvertimus, Deo laudem omnem atque gloriam tribuamus. Hoc monitum peculiariùs observent oportet incipientes, ut religionis exercitiis cum fructu peragendis assuescant, ubi admissa errata animo versant, ut emendent.

Quicumque in exigua hac recensioneprehenderint actionem à se bonis omnibus cum circumstantiis atque affectionibus ritè  
fuisse



fuisse peractam, sollicitè curabunt, ut omnem gloriam Deo tribuant, nihilque omninò sibi vana elatæ mentis oblectatione ausint arrogare. Sanctus Gregorius præclare omnino ait, ubi cuncta quæ agimus non præcedit, comitatur & consequitur humilitas, fore, ut superbia furis instat omne nobis meritum surripiat. Diaboli idcirco non raro in fine actionum nostrarum vanâ gloriâ nos tentare conantur, ut omne nobis meritum suffurentur, instar piratarum, qui naves mercatorias nequaquam adoriuntur, ubi è portu solvunt, ut vela ad loca mercationis faciant, sed illas in reditu expectant, quando opulentis mercibus fuerint onustæ.

Utergo omnem Deo soli gloriam tribuamus, dicere poterimus.

*Psal. 113.* 1. *Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.*

*Isa. 26. 12.* 2. *Domine omnia opera nostra operatus es in nobis. Confiteor equidem, quia ex me ipso præter peccatum, ignorantiam & infirmitatem, nil habeo.*

3. *Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, ô beata, & benedicta, & gloriosa Trinitas; Pater & Filius, & Spiritus Sanctus.* Tu enim omnis boni atque omnium virtutum fons es, & scaturigo, omniaque sua tibi in acceptis referre habet omnis creatura, sicut rivulus fonti debet omnem aquam, sine qua totus exaresceret.

*Isa. 10. 15.* 4. *Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut baculus, qui utique lignum est? Equidem Domine, instrumenti instar*

mor-

mortu  
atque  
tibi so  
5. B  
tuum,  
tuum  
perage  
6.  
gratias  
fidelit  
observ  
num e  
censio  
quend  
petent  
licitiu  
vide:  
agniti  
mili r  
veniat  
lè me  
defect  
admit  
hono  
revere  
scient  
sanct  
lior e  
circu  
istam  
Ea  
gioni  
Deini  
mus:  
quoti



mortui sum, cui motum omnem præstas ;  
 atque ideo si quid boni per me forte fiat  
 tibi soli sit gloria.

5. Benedic, anima mea. Dominum Deum  
 tuum, qui adeo suaviter ac delectabiliter cor  
 tuum ad sanctæ religionis vitæ exercitia  
 peragenda inclinavit.

6. Gratias ago tibi, Domine Deus, quia  
 gratiam tuam mihi dedisti, ut ista in actione  
 fideliter, quidquid in illa à me requirebatur,  
 observarem, tuum enim omnino hoc do-  
 num est. Quotquod econtrario in sua re-  
 censione deprehenderint in actionem suam  
 quendam irreplisse defectum veniam à Deo  
 petent, ac fore promittent, ut in posterum sol-  
 licitius sibi ipsis invigilent, dicentes cum Da-  
 vide: *Observabo me ab iniquitate mea.* Culpæ *psal. 17.*  
 agnitionem & confessionem ista vel alia si-  
 mili ratione elicient; Domine Deus meus,  
 veniam peto, quod in ista actione adeo ma-  
 le me habuerim, & quod talem aut talem  
 defectum voluntariè sive per occupationem  
 admiserim contra majestati tuæ debitum  
 honorem, contra illam quam præsentia tuæ  
 reverentiam & quam meæ debebam con-  
 scientiæ fidelitatem, firmiter propono ac  
 sanctè tibi promitto fore, ut alia vice fide-  
 lior existam, ac majori cum diligentia &  
 circumspèctione cuncta perficiam. Oro te, ut  
 istam mihi gratiam tu concedas.

Ea sunt generalia monita, qua ratione reli-  
 gionis actiones in spiritu sint peragenda.  
 Deinceps vero de singulis in particulari age-  
 mus: & primùm quidem de illis quæ fiunt  
 quotidie.

CA-